

www.e-rara.ch

**Davidis Macbride, Medicinæ Doctoris, Introductio Methodica In
Theoriam Et Praxin Medicinæ**

Macbride, David

Basileæ, M. DCC. LXXXIII. [1783]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-123609>

Liber V. Semiologia, sive doctrina signorum

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

INTRODUCTIONIS METHODICÆ
 I N
 THEORIAM MEDICINÆ
 L I B E R V.

Semiologia, sive doctrina signorum.

C A P U T I.

De signis morborum in universum.

ABSOLUTO generali status morborum conspectu, ad eam medicinæ partem nunc progredimur, quæ semiologia, sive doctrina signorum, nominatur, methodumque explicat, qua vel de statu morbi præfenti, vel de ejusdem exitu, judicare possimus.

Non rarum est, in scriptis Medicorum ea, quæ mera signa sunt, cum symptomatibus, quæ partem morbi constituunt, confundi.

Quamvis omnia symptomata sint signa: non omnia tamen signa sunt symptomata. Pulsus celer, & urina valde tincta, febris signa sunt, sed ita, si, qui talem pulsum habet, vel talem urinam reddit, eodem tempore symptomata febris, calorem immoderatum, sitim, anorexiam, atque agrypniam, experitur. Nisi omnia hæc symptomata, vel pleraque, apparent, pulsus celer, & urina valde tincta, nihil probant, siquidem sæpe numero sic occurrunt, ut nulla impotentia morbosa, aut molestia, ipsis accedat.

Quum symptomata sint partes, ex quibus morbus

constat, necessaria consecutione efficitur, ut eadem vera & certa constituent signa, ita quidem, ut non, nisi in horum signorum subsidium, pulsus a nobis tangatur, atque urina inspiciatur. Quod si enim pulsus & urinam, seposita symptomatum ratione, consideremus, nunquam inde neque de natura, neque de statu præsentis morbi, iudicium ferre poterimus. Exempli gratia, audimus, hominem quemdam acuto, nec locum mutante, lateris dolore infestari, qui dum spiritus attrahatur, ingravescat, cuique tussis importuna, calor immoderatus, sitis, atque agrypnia, accedant. Ex hoc symptomatum, inter se connexorum, concursu morbum illum componi novimus, qui pleuritis nominatur. Sine ulla igitur hæsitatione pronuntiamus, hominem illum pleuritide laborare. Sin autem nihil audiamus, nisi pulsus celerem ac plenum, aut urinam valde tinctam esse, nunquam, ne probabili quidem ratione, dicere possumus, utrum homo ille vere ægrotet, an vehementiore tantum corporis exercitatione se excalefecerit.

Signorum alia diagnostica sunt, alia prognostica, alia anamnesticæ.

Signa diagnostica statum morbi præsentem declarant, eique definiendo ac distinguendo inserviunt. Sic calor immoderatus, dolor capitis acutus, sitis ingens, agrypnia, cum cute sicca, pulsus summe frequenti, pleno, & duro, atque urina valde tincta, febris inflammatoriæ signa diagnostica sunt.

Signa prognostica sunt ea, ex quibus mutationes, per morbi decursum eventuras, præagere possumus. Ita, si quis, febre inflammatoria laborans, capitis dolorem vehementius ingravescere, auresque intra seipsas sonare, conqueratur, nosque oculos cubantis rubentes ac feroces, lotiumque in speciem aquæ pallidum observemus, delirium imminens non dubitanter prædicere nobis licet.

Signa anamnesticæ ea sunt, ex quibus dicere possumus, quem morbum ægrotus modo passus sit. Ita squamosa cutis siccitas, cum oculis lucis impatientibus, tussis sicca importuna, & debilitas, hominem, sic affectum, morbillis nuper laborasse, commonstrant.

Facile autem intelligitur, in signis his anamnesticis perparum momenti situm esse, etiamsi plus, quam re vera licet, ipsis tribuatur. Diagnosticorum igitur ac prognosticorum signorum cognitio nobis in primis excolenda est.

Præcipua signa diagnostica totius primæ morborum classis sunt quindecim illa symptomata generalia. Ex quibus si duo, vel plura inter se conjuncta esse, & per universum morbi decursum, aut majorem ejus partem, prævalere videas, certus esse potes, morbum illum morbis universalibus esse adnumerandum. Specierum signa tum exhibebimus, quum eas ex professo describemus.

Signa diagnostica secundæ morborum classis ex symptomatum particularium, sive topicorum, morbos illos distinguunt, variisque nominibus a parte affecta designantium, descriptione intelliguntur.

Symptomata igitur genuina morborum signa diagnostica sunt: sed, quum plura illorum neque visui, neque tactui, subjaceant, quidquid de iis cognoscimus, vel inductioni, vel relationi ægrotum, debetur. Sæpiissime autem accidit, ut isti symptomata, quibus laborant, distincte significare nesciant. Atque hinc artis Magistri de methodis quibusdam cogitarunt, quæ defectum illum supplerent, medentesque ad judicium de statu morborum præsentis ac futuro ferendum idoneos redderent, idque ad motuum animalium statum attendendo. Quo enim hi minus moderati, æquabiles, & liberi sunt, quam in sanitate absoluta esse debent, eo gravius ac periculosius ægrum decumbere, necesse est.

Motus systematis nervosi quum observationi plane non pateant, nihil de hac machinæ nostræ parte aliter cognoscere possumus, quam animadvertendo, quo in statu sensuum organa, motusque voluntarii instrumenta, sint, quæque mutationes in oculis & toto vultus habitu appareant.

At systematis vascularis motus quum evidentes sint, atque a corde, ut primo motore, dependeant, num generalis humorum circuitus rite peragatur, facile dicere, ac de perturbationis, vel interruptionis, gradu satis certo judicare possumus, idque pulsuum examinando, & quomodo respiratio fiat, observando.

CAPUT II.

De signis ex pulsu.

COMMUNIS eruditorum opinio adhuc fuit, ut antiquissimos Medicos pulsibus observandis perparum vacasse, eosque in libris, HIPPOCRATIS nomen præfixum habentibus, non, nisi obiter, commemorari existimarent. Sed ANTONIUS de HAEN, qui Patrem medicinæ summa veneratione prosequi videtur, ejusque honori gravissimam fieri putat injuriam, nisi tantumdem de pulsibus, ac, qui illum secuti sunt, cognovisse statuatur: famigeratus igitur ille Professor Vindobonensis *Rat. medend. Part. XII, Cap. I*, plus quadraginta loca ex libris HIPPOCRATICIS concessit, in quibus pulsuum & pulsationum fit mentio. Num vero ex quadraginta his locis id, quod Vir Cl. probare adlaboravit, plene probare liceat, nos quidem Lectoribus ipsius dijudicandum relinquimus.

ARETÆUS omnino, quemadmodum ex his, quæ

ab ANTONIO de HAEN inde excerpta sunt, apparet, multum ad pulsuum mutationes attendit. Qui autem HIPPOCRATI hac in re defectus adscribi possunt, eos, pro luxuriantis ingenii sui exuberatione, cumulatissime supplevit ipsius commentator, GALENUS, qui infinitas pulsuum distinctiones effinxit, quarum pleræque in artis exercitio non occurrunt, atque, etiamsi occurrerent, ex datis tamen ab illo descriptionibus cognosci non possent. Idemque prorsus de recentiorum quorundam auctorum doctrina dici potest, qui certas quasdam pulsuum proprietates esse sibi persuaferunt, quæ de morborum progressu atque eventu plurima commonstrent.

Proprietates illæ, quas non, nisi animo attentissimo, tactuque subtilissimo, distinguere licet, ex libris quidem disci non possunt: sed, si vere tales pulsus sunt, quales a SOLANO, BORDEU, eorumque discipulis, describuntur, hi, qui ipsos cognoscere gestiunt, Medicos illos ad ægrotantium lectos comitari debent, ut ibi doceantur, qua ratione leves illæ pulsuum differentię ab his conditionibus, quas reliqui Medici observare consueverunt, discernendæ sint.

Prius vero, quam ex pulsu aliquid concludamus, semper, considerandum nobis est, eum in sanis, pro ætatis, sexus, atque constitutionis ratione, differre. Ante omnia igitur, si fieri potest, reperire nos oportet, quæ pulsus ratio in homine sano sit, siquidem ad hanc, tamquam ad normam aliquam, exigendum est, quantum ægrotorum pulsus a sanorum pulsu recedat.

Considerandum quoque est, systema vasculare non, nisi partem machinæ nostræ, esse. Quamvis itaque pulsus, generalem humorum circuitum perturbatione vacare, renuntiet: hoc tamen nos certos non reddit, in nervoso etiam systemate omnia bene se habere. Fieri enim potest, ut summa hujus ataxia sit, quam

vix, aut ne vix quidem, ex pulsu percipere liceat.

Qui animum ad medicinam faciendam appulerunt, id agere debent, ut pulsum robur, rationesque generales, in infantibus, adultis, senibus, ac feminis, dum absoluta sanitate perfruuntur, sibi familiares reddant. Singulorum enim pulsus, suas quisque rationes proprias habent.

Hominis, absoluta sanitate fruientis, pulsum æquabilem, moderatum & liberum: ægrotantis nonnunquam inæqualem atque intermittentem invenimus, spatio, inter singulos ictus interposito, æque ac robore ictuum, subinde variante. Idem interdum in totum deficit, interdum ultra modum velox, alias præter naturam tardus est. Nonnunquam robur naturale multum superat: alias infra id subsistit.

Quæ ex diversis illis pulsum conditionibus inferre licet, hæc fere sunt:

Pulsus inæqualis atque intermittens insignem systematis nervosi perturbationem ostendit, adeoque pro signo terrente habendus est, quod semper attentionem nostram excitare, nosque ad pessima quæque expectanda præparare debeat. Periculi tamen gravitas ex iis, quæ inæqualem, vel intermittentem, illum pulsum præcesserunt, aut comitantur, æstimanda est. Quod si enim tales pulsus in fine febrium, quum vires laborantis pæne exhaustæ sunt, vel post immodicas evacuationes, incidant, ægri salus desperata est. Sin autem post repentinas tantum animi perturbationes appareant, vel, quod in nonnullis observatum est, in consuetudinem quodam modo venerint, non est quod magno nos opere terreant.

Pulsus, in totum deficiens, si aliquamdiu talis maneat, aut nimix sanguinis, aliorumve humorum, profusioni succedat, magno semper metu terrere nos debet. Si quis, illo deficiente, humorum circuitus adhuc sentitur, is soli contractioni ac dilatationi cor-

dis, sine magno motus subsultantis gradu, tribuendus est.

Pulsus celerem & frequentem, sunt, qui separent, diversosque esse statuunt. Frequentem pulsus dicunt, quando ictuum numerus intra datum temporis spatium major est: celerem autem, quando ictus cum insigni rigore fiunt, atque intra minimum, quod concipi potest, temporis spatium absolvuntur. Sed talis pulsus durus potius, quam celer, vocandus est. Quam ob rem per pulsus durum eum significabimus, cujus ictus tam rigide fiunt, tantamque tunicarum arteriarum tensionem conjunctam habent, ut durum aliquod corpus digito tangenti subjectum esse videatur.

Nimia pulsum celeritas & frequentia, systema vasculare inusitata quadam ratione irritatum esse, demonstrat, vel, quod acria in sanguine continentur, quæ cor atque arterias stimulent, vel, quod cordis ventriculi se plene exonerare nequeunt, adeoque in perpetua irritatione sunt, nunc, si ipsi robore, ad contractionem sufficientem, destituuntur, nunc, si extremum systema arteriosum ita constrictum atque obstructum est, ut nimius sanguis circa centrum accumuletur, nunc, si sanguis celerius, copiosiusve, quam ut a corde recipi possit, a peripheria revertitur: id quod semper post vehementes insuetasque corporis exercitationes contingit. Unde ratio patet, cur omnes evacuationes pulsum accelerent. Qui enim ex illis pereunt, imminente morte, incredibilem pulsum frequentiam exhibent, quoniam cordis vis muscularis eo usque debilitata nunc est, ut ventriculi ipsius nunquam satis exonerare se valeant. Nec minus inde perspicitur, cur, quidquid stricturem spasmodicam efficit, necessario etiam pulsus celeritatem augeat. Atque ita intelligimus, pulsum celerem a febre separari non posse, quamdiu arteriæ in peripheria paulo arctius contractæ manent.

Pulsus frequens & celer, per se spectatus, non in-

volvit, sanguinis, per vasa circumeuntis, vim auctam esse, aut datam sanguinis copiam per majus vasorum continentium spatium dato tempore moveri, quam ante pulsus frequentiam, ultra naturæ modum evectam.

Vis sanguinis, per vasa circumeuntis, sic æstimanda est, ut robur pulsus cum numero ictuum, qui intra datum temporis spatium fiunt, multiplicetur. Illustrationis gratia, pulsus robur in sanitate absoluta numero 4 æquale, ictuum autem, qui intra sexagesimam horæ partem fiunt, numerum numero 70 parem esse ponamus. Quod si jam numerum 70 cum numero 4 multiplicemus, efficietur numerus 280. Itaque 280, vim sanguinis, per vasa circumeuntis, in sanitate absoluta esse dicemus.

Ponamus jam, febrem inflammatoriam oriri, ac robur quidem pulsum ad 5, ictuum autem, qui intra sexagesimam horæ partem fiunt, numerum ad 112 augeri. Duo hi numeri, inter se multiplicati, 560 efficiunt, qui numerus vim sanguinis, per vasa circumeuntis, altero tanto majorem, quam secundum naturam & in sanitate, exhibet.

Sed ponamus, ictuum, qui intra sexagesimam horæ partem fiunt, numerum adhuc 112, pulsum autem robur dimidia parte minus, quam in sanitate, esse; hoc est, a numero 4, ad numerum 2, decrescere. Quod si jam numerum 112 cum numero 2 multiplicemus, efficietur tantum numerus 224, eo, qui vim sanguinis, per vasa circumeuntis, in sanitate exhibet, multo inferior. Videmus itaque, quamvis pulsus tanto frequentior nunc sit, massam tamen sanguinis tam libere & celeriter non moveri, atque tum movebatur, quum cordis intra sexagesimam horæ partem contractiones non 112, sed 70 tantum erant.

Pulsus præter naturam rarus & tardus, cordis, atque systematis arteriosi, irritabilitatem justo minorem esse, demonstrat: id quod a maligniore liquoris vitalis

per fibras illas distributione proficisci potest. Accidere hoc videtur, quando vasa, vel ventriculi cerebri, a sanguine, vel aqua, inundantur, aut cerebrum a calvaria intrusa, vel fracta, comprimitur. Cordis irritabilitas etiam minui, fibrarumque ejus robur debilitari potest, quando oleum, gelatina, vel aqua, in telæ cellulosæ interstitiis accumulatur: id quod in polyfarcia atque hydrope contingit. Par effectus est materiæ solidæ inertis, nimis accessionibus locupletatæ: id quod in proVectæ ætatis hominibus evenire videtur, in quibus, prout solida inertia gradatim accrescunt, ita solidorum vivorum motus impediuntur.

Quemadmodum sola pulsus celeritas ac frequentia sanguinis, per vasa circumeuntis, vim auctam non involvit: sic sola etiam tarditas, illam imminutam esse, non probat. Quare ex eodem principio, quo ibi, hic quoque judicium ferre debemus. Exempli gratia, si hominis, ex febre modo convalescentis, pulsus tam tardus evadit, ut 56 tantum ictus intra sexagesimam horæ partem numerentur, singulorum autem ictuum, sive impulsuum, robur tantum esse pergit, ut numero 5 par ponendum sit, ex numero 280, quem numerus 56, cum numero 5 multiplicatus, efficit, perspicuum est, vim sanguinis, per vasa circumeuntis, exacte eandem esse, quæ in sanitate absoluta fuit, ubi pulsus robur numero 4 æquale, ictuum autem, qui intra sexagesimam horæ partem fiunt, numerum numero 70 parem posuimus.

Hinc rationem intelligere possumus, cur pulsus validus ac tardus, dum ne inæqualis, debili frequentique succedens, tam bonam spem ostendat, & cur talem pulsum pro certa nota habeamus, crisin febris perfectam fuisse, plenamque circuitus humorum æqualitatem atque libertatem per omnes systematis arteriosi partes postliminio esse restitutam.

Pulsus validus liquoris nervei in cor influxum per om-

nia liberum, musculique hujus, & universi systematis arteriosi, fibras firmas atque integras, sanguinem autem, in vasis contentum, insigniter densum, ac partis colorantis divitem, ostendit. Debilis contra pulsus vim cordis, atque universi systematis vascularis, deficientem, propter partium solidarum relaxationem, cum sanguine vappido, tenui, aquoso, conjunctam, renuntiat.

Duritiā pulsus, morbis quibusdam, maximeque partium membranacearum inflammationibus, dolores acutos moventibus propriam, a nimia omnium fibrarum motricium tensione proficisci statuunt. Pulsus nimium mollis, quum duro contrarius sit, contrario solidorum vivorum statui adscribendus, nec, nisi tamquam levior pulsus languidi varietas, considerandus est.

Ex iis, quæ de variis pulsuum conditionibus, seorsim spectatis, dicta sunt, facile colligere possumus, quid ex variorum pulsuum consociatione sequatur. Sic pulsus celer, durus, & validus, cor, atque systema arteriosum, vehementer irritata, fibrarum motricium universitatem maximopere tentam, ac vasa sanguine nimium denso, particulisque rubris abundante, repleta denotat.

Tantum de pulsu, ad statum morbosum, generatim spectatum, relato. Quandoquidem autem in diversis morborum speciebus ipse quoque diversus est, quum ad harum descriptionem venerimus, plura adhuc de illo a nobis exponi oportebit.



CAPUT III

De signis ex respiratione.

QUUM universam humorum, per vasa circumeuntium, massam, ex altero cordis ventriculo in alterum progredientem, pulmonum vasa trajicere, necesse fit: facile intelligitur, signa, ex pulsu derivata, ab iis, quæ a respiratione repetuntur, confirmari atque corroborari.

Quicumque absoluta sanitate perfruuntur, in iis respiratio cum levamine ac refectione, partiumque huic actioni inservientium, motu tam leni fit, ut ascensus & descensus costarum vix percipiatur, thoracis cavo, per alternam præcipue diaphragmatis, musculorumque abdominis, relaxationem atque contractionem, alternis vicibus dilatato & coarctato. In ægrotis autem sæpe respirationem valde turbatam atque interruptam observamus, ut quæ cum dolore, difficultate, celeritate, sonitu notabili, conspicuoque costarum motu, peragatur. Omnes istæ a respiratione sana aberrationes tamquam signa adhibendæ sunt, ex quibus, quantum generalis humorum circuitus turbatus atque interruptus sit, judicare nobis liceat. Pulmones enim pro totius corporis, quod ad fabricam vascularem attinet, epitome haberi possunt, quum ipsi totidem, quot illud, vasorum series habeant, adeoque pro certo ponere licet, sanguini, per pulmonum vasa libere permeanti, expeditum per reliquos etiam canales sanguiferos transitum concedi.

Sanus homo ad quatuor cordis contractiones semel tantum respirare observatur. Respiratio igitur solito celerior; multum sanguinem ex corde in arterias pulmonales effundi, demonstrat: id quod nonnunquam

inde accidit, quod insolita illius copia a peripheria ad centrum revertitur, quemadmodum ab acriore corporis exercitatione, certisque quibusdam animi affectibus, constanter & perpetuo fieri solet. Hinc stricture spasmodicæ respirationem nunquam non accelerant. Idemque, ubi sanguinis per pulmones transitus quoquo modo interruptus est, contingit. Una enim pulmonum dilatatio si consuetæ sanguinis copię liberum per ipsos transitum parare non valet, defectum hunc crebrioribus dilatationibus suppleri oportet. Ex quo patet, celerem respirationem pro signo obstructorum pulmonum haberi posse: quæ obstructions, uti jam diximus, variæ naturæ sunt. Acceleratur quoque respiratio, ubi, qui ipsi inserviunt muscoli, maximeque diaphragma, spasmō aliquo agitantur. Atque hoc sæpe in hysteriis atque infantibus incidit; in illis quidem a flatibus, aliisve noxiis, canali cibali inclusis: in his autem a lacte concreto, aliisve rebus stimulantibus, vel opprimentibus.

Respiratio laboriosa, sive difficilis, in qua spiritus præter naturam velociter reciprocatur, thorace minus, quam pro capacitate sua, dilatato, sanguinis per pulmonum vasa transitum interruptum esse significat, vel propter stricture horum vasorum spasmodicam, vel, si lentoris notio admittatur, propter sanguinem nimis tenacem, per minutos arteriæ pulmonalis fines vix ægreque transeuntem. Spirandi difficultas etiam indicare potest, partem pulmonum cellulosam aqua, oleo, vel forte terra, oppletam esse, atque hinc vasa, aërifera æque, ac sanguifera, comprimi, ita quidem, ut illa ab aëre non satis distendantur, horum autem diametri iusto angustiores evadant. Unde, pro majore minoreve materiæ, in pulmonibus accumulatæ, copia, fluidorum, per vasa circumeuntium, transitum magis minusve interrumpi, necesse est.

Respiratio, cum dolore interno, sedem non mu-

tante, eodemque valde acuto & molesto, conjuncta, indicio est, membranaceum pulmonum operimentum ac membranas, thoracem investientes, in inflammatione esse, vasis, per has partes discurrentibus, ab humorum, in ipsa compulso, mole nimium distentis, & propemodum disruptis. Respiratio laboriosa, summeque difficilis, cum dolore obtuso, profundius sito, ac pulsu celeri, sed debili, conjuncta, ipsam pulmonum substantiam inflammatione affectam esse, denotat.

At si dolor, spiritus difficultati accedens, in partibus thoracis musculosis atque externis est, neque in eadem sede manet, sed, in modum crampi, nunc huc, nunc illuc, vagatur, pulsusque inter hæc parum a lege & mensura naturali recedit, affectio aliqua spasmodica, vel acrimonia rheumatismatica, significatur, quorum illam, opio sumpto, levatum, hanc, cantharidibus extrinsecus impositis, evocatum iri, probabile est.

Respiratio velox & difficilis cum singultu, vel strepitu in faucibus, conjuncta, si aliis signis pravis, ut pulsui frequenti ac valde debili, sudoribus frigidis, anæsthesiæ, vel ultimæ virium debilitati, accedat, pro nota, imminentem mortem portendente, haberi potest.

Quum causarum, respirationis actionem impediens, vel turbantium, maxima sit varietas, pluresque per se neque magnam molestiam afferant, neque multum periculi minentur, ex signis, a sola respiratione derivatis, nunquam aliquid certi inferre possumus, sed semper aliorum quoque symptomatum, in ægrotis conspicuorum, rationem habere, omnibusque rebus inter se comparatis, demum justas deducere consequentias debemus. Sic sæpe hominum, temperatione corporis teneriore ac delicatiore præditorum, respirationem cum summis molestiis conjunctam esse videmus a causis, solos musculos, huic

actioni inservientes, afficientibus, neque sanguinis per pulmones transitum magnopere interrumpentibus, aut turbantibus. Ex quo sequitur, ut, quamvis talis respiratio primo obtutu terribilis sit, pro magni tamen periculi signo haberi non debeat. Quamdiu enim sanguinis per pulmonum vasa iter satis liberum fervatur, (id quod semper e pulsu cognosci potest) non est, quod a respiratione difficili mortem denuntiari credas. At si respirationis difficultas adeo ingravescit, ut suffocationem minitetur, aliaque symptomata, in laborante obvia, pulmones inflammatione affectos, aut muco, oleo, sanguine, vel pure, infartos atque obrutos demonstrant, in malis omnino signis habenda est, nec, nisi pessima quæque, pertimescenda sunt.

Quum de his morbis, quorum symptoma characteristicum spirandi difficultas, est, ex professo agemus, illam spirandi difficultatem, quæ a pulmonibus infartis nascitur, ab ea, quæ solis nervorum, ad respirationis musculos pertinentium, affectionibus tribuenda est, accuratius distinguemus.

Quemadmodum certæ quædam pulsus proprietates sunt, a rebus externis, corporisve habitu, dependentes, ad quas semper attendi oportet: ita similiter memores esse debemus, respirationem quoque, pro varia corporum constitutione, itemque pro varia thoracis conformatione, ac propria pulmonum conditione, plurimum variare. Quibus accedunt varii illi effectus, qui a tempestatum conversionibus, locorumque mutationibus, exspectandi sunt.



CAPUT IV.

De signis, systema nervosum perturbatum indicantibus.

SENSUM, perceptionem, motumque voluntarium, a sano nervorum statu dependere, ingens observatorum atque experimentorum, in animalibus vivis captorum, numerus demonstravit. Quam ob rem, si quando sensus externos, animi facultates, aut fibrarum muscularium vires, imminutas, turbatas, vel interruptas, observamus, certi esse possumus, systema nervosum non ex toto recte se habere, variasque illas morbosas aberrationes cum sensus, perceptionis, motusque voluntarii statu sano & naturali comparantes, habemus, unde molestiæ morbosæ, ac periculi modum, atque magnitudinem aliquatenus metiamur. Verbi gratia, homo, febre laborans, vehementer delirat, nec somnum capere potest. Proximam & delirii, & agrypnæ, causam in liquore nerveo, per sensuum internorum atque externorum organa justo abundantius distributo, ponimus, adeoque ex duobus his, quæ in ægrotante observamus, symptomatibus inferimus, ab humorum, per vasa circumeuntium, vi aucta nimiam ortam esse liquoris nervei secretionem, tenuemque hanc materiam nimis uberim ad nervos nunc mitti. Indidemque etiam concludimus, si duo ista symptomata violentius sævire pergant, ægrum in summo vitæ periculo versari, propter insignem illam liquoris vitalis, sine cujus justa copia motus animales perfici non possunt, jacturam.

Sin autem idem homo in progressu febris stupore opprimitur, atque in continuum soporem decedit, nervos liquore suo non satis imbui, eorumque motus ob cerebri vasa sanguifera, per continuatum humorum circumeuntium

circumeuntium motum violentum & rapidum nimis distenta, vel forte disrupta, elanguescere colligimus. Atque hinc iterum ex duobus his symptomatibus adventiciis periculum, cubantis vitæ impendens, prædicimus.

Ex eodem principio magnum semper periculum in spasms, cum systematis vascularis perturbatione conjunctis, vel in summa corporis debilitate, animive dejectione, ponimus, quibus, in morbo quodam febrili apparentibus, pejora atque terribiora signa esse non possunt.

Supra diximus, nervos æque in origine sua in cerebro affici posse, atque a rebus noxiis, in ea loca, ubi singulæ chordæ terminantur, agentibus, quæ inexplicabili quadam *συμπλοκή* molestiam & perturbationem cum universo systemate nervoso communicent.

Quum omnium harum perturbationum fons maxime vulgaris acria atque noxia, in canali cibali hærentia, sint, neque systema solidorum generale, aut massa humorum universa, inculari possit, utilissimum erit, signa, rerum istarum noxiarum præsentiam & naturam indicantia, observare, modosque aptissimos, ac tempora opportunitissima, eas corrigendi, atque ex corpore eliminandi, proponere.

Signa, ventriculorum, intestinive duodeni flexum, rebus noxiis, vomitu rejiciendis, oneratum, denotantia, præcipua, sunt lingua, sordibus crustisque crassis oblecta, sapor in ore amarus, acidus, rancidus, vel putridus, nausea & anorexia, ventriculi os sinistrum ac pars superior dolens, ponderis opprimentis sensus circum præcordia, cum hypochondriis plenis, molliterque tumidis, alvus adstricta, vertigo & capitis dolor, horrores atque extremorum frigus, cum universi corporis lassitudine, subitaque asthenia.

At si materia noxia profundius in intestinis hæret, & per alvum deijcienda est, adsunt fere ventris dis-

tentio, dolor, ac murmura, dejectiones foedæ, acres, cum torminibus, lumborum dolor, ad coxas extentus, cum genuum infirmitate, atque obtuso circa ea dolore.

Generalem systematis nervosi statum etiam quodam modo commonstrant ægrotantis oculi, totusque vultus: qui quo magis speciei consuetæ & sanæ dissimiles sunt, eo magis terrere nos debent. Atque hinc magnum semper portendit periculum cubantis vultus, ita mutatus, ut ipsi amici eum vix agnoscant. Qui multum cum ægro versantur, signorum, ab oculis atque universi oris lineamenti derivandorum, notitiam sensim sine sensu acquirunt. Nunquam autem ea cum aliis alia communicari potest ratione, quam mutationes, quales in vultu laborantis quum maxime apparent, indicando.

C A P U T V.

Signa ab exanthematibus, aliisque corporis externi mutationibus.

UT statum ægrotantium etiamnum exactius cognoscamus, curiose nobis attendendum est ad exanthemata, decolorationes, aliasve mutationes, in corporis superficie apparentes; examinandus sanguis, e vena detractus; inspicienda, vel ipsi forte analysi chemicæ subjienda, urina; perlustranda denique, quæ ex pulmone per sputa, ex ventriculo per vomitum, ex intestinis per dejectiones, excernuntur.

Quum quasdam exanthematum species febris vel præcedat, vel comitetur: has ab iis, quæ febre vacant, semper distingui oportet.

Multa exanthemata febrilia specificæ cujusdam materiæ morbificæ progenies sunt, velut variolæ

& morbilli : alia contra a sanguinis dissolutione nascuntur, quam sola agitationis violentæ calorisque aucti continuatio effecit, cui fermentum aliquod, ut ita dicam, putrefaciens, vel in corpus per infectionem illatum, vel in eo per victum pravum, aliosve errores, in rebus non naturalibus commissos, generatum, sociam fortassis operam præstat.

Posteriora exanthemata, quæ purpuræ, sive petechiarum, nomen vulgo obtinuerunt, varios colores habent, a splendido rubore usque ad livorem, vel tantum non nigrorem. Neque minus varia illorum magnitudo est, a maculis exiguis, eas, quæ ex pulicum morfu nascuntur, referentibus, usque ad insignis latitudinis maculas, quæ vibices appellantur.

Exanthemata hæc vix super cutem eminent, raroque, nisi, ubi febris plurium jam dierum spatium accessit, ægrique vires pæne exhaustæ sunt, apparent, neque ullam morbi levationem asserunt.

Cæterorum exanthematum pleraque, quum eruperunt, febrem levare solent. Materia quippe noxia, ab humorum, per vasa circumeuntium, massa separata, inter solida inertia in tela cutis cellulosa deponitur. Quæ si omnis separata est, febris conquiescit, omniaque, ipsam comitantia, symptomata molesta avanescent. Sin autem materiæ noxiæ copia major est, quam ut hunc in modum separari possit, & quædam illius portio sanguini immixta remanet, febris, etiam si exanthemata appareant, non desinit, sed continuatur. Atque hoc in deterioris notæ variolis, morbillis, febribusque, miliari ac scarlatina, accidit. Generalia igitur, quæ ab exanthematibus, in febre quadam erumpentibus, peti possunt præsagia, hæc sunt. Exanthemata, in cute apparentia, si, quæ febris accesserunt symptomata, ab iis insigniter minuuntur, boni sunt ominis, felicemque morbi exitum prænuntiant. Sin autem ab illorum eruptione symptomata febrilia adeo non levantur, ut potius

præcordiorum oppressio, debilitas, delirium, &c. ingravescant, justus metus subest, ne sanguinis crassis destructa, & ita quidem destructa sit, ut nulla amplius medicina locum inveniat.

Ad cutis decolorationes quod attinet, color ex pallido viridis, cum maculis nigricantibus subter oculis, humorum per vasa circuitum languere, sanguinemque vappidum atque aquosum esse significat. In femina talis color menses suppressos; in mare habitum corporis scorbuticum, intestinorum debilitatem, pravamque ciborum concoctionem indicat. Temperatura livida, eundem fere corporis habitum exhibens, evidenti argumento est, universos humores in putredinem vergere, & solidorum vivorum motus nimis remissos esse atque languidos. Quæ lurida vocatur temperatura, sive color faciei obscure nubilus, cum torpore ac gravitate oculorum, certum signum est, bilem non rite secerni. Colore autem in totum flavo ductus communis, vel cystici, obstructio ostenditur, quæ bilem cysticam in intestinum duodenum exonerari prohibet, atque ita in humorum, per vasa circumeuntium, massam retro agit, quacum ad vasa, cuti subjecta; defertur, in hujusque tela cellulosa deponitur.

Sudores sæpe numero statum conditionemque universæ humorum massæ significant, ut qui interdum, quamvis perraro, acidi sint, alias putridum odorem prodant. Nonnunquam sudor rubra sanguinis parte tinctus est: unde colorem subflavum, aut etiam rubicundum, ducit.

Humor quoque, qui ex ulceribus exit, de statu fluidorum certiores nos facere potest. Si acer & mali odoris est, partiumque circumjectarum epidermidem corrodit, insignis acrimoniæ, vel cancrofæ, vel proxime ad hanc accedentis, testimonium perhibet. Si tenuis & cruentus est, putridum illum dissolutumque fluidorum statum, qui scorbuticæ indolis est,

denotat. Si blandus, ac mali odoris expers est, concretusque apparet, contagionem scrofulosam indicat. Humor, ex ulceribus venereis manans, interdum æque acer & corrodens est, atque is, quem cancrofa fundunt, nec facile, nisi morbi progressu investigato, omnibusque symptomatibus curiose inter se collatis, distingui potest.

CAPUT VI.

Signa ex sanguine.

QUAM sanguinis examen pollicetur, cognitio tanta non est, quantam quis esse sibi persuadere possit. Hominum quippe, evidenter male affectorum, sanguis ei, qui ex aliorum, sanitate absoluta perfruentium, venis detrahitur, simillimus est: & contra homines, nullo morbo laborantes, sanguinem a periculose decumbentium sanguine minime diversum exhibent. Exemplo sint feminae gravidæ, quarum sanguis crusta crassa obtegitur, adeoque ei, qui ex pleuriticorum venis mittitur, haud absimilis est.

Quæ quum ita sint, facile apparet, certam aliquam regulam, ad quam sana sanguinis, vel quantitas, vel qualitas, exigatur, constitui non posse. Neutra enim per se æstimari potest: sed semper ad peculiaria momenta, quæ ætatum, sexuum, atque constitutionum varietas affert, respiciendum est.

Prius autem, quam signa, a sanguinis, ex ægrorum venis detracti, specie derivanda, proponere conemur, in memoriam revocare nobis debemus, qualis, ex hominum, in absoluta sanitate constitutorum, venis missus, appareat.

In universum observari potest, sanguinem, obscure rubentem, qui, si refrixerit, in serum limpidum,

omnis fere coloris expers, & coagulum rubrum, crusta crassa, aut alium a cruore subiecto colorem habente, non obiectum, separetur, cuiusque tertiam, vel dimidiam circiter partem, serum efficiat, bonum ac sanum, ab omni acrimonia morbosa vacuum, necessariaque omnium partium constituentium proportionem esse præditum.

Hinc de sanguinis a statu sano aberrationibus judicare licet. Sanguis, ruborem splendidum, coccineo colori similem, repræsentans, nec cito in serum & coagulum rubrum discedens, nimiam salium in fluidis abundantiam, corporisque ad arthritidem, vel exanthemata calida & scabiosa, proclivitatem indicat. Talem sanguinem sæpe etiam, qui febre hectica laborant, aut victu nimium salito, nimisve aromatis condito, utuntur, exhibent.

Ubi sanguis copiosius, quam pro rata portione, serum continet, morbos hydropicos expectare oportet. Talis quippe sanguinis dissolutio systematis vascularis debilitatem arguit, ob quam serum facile in cavis majoribus, vel telæ cellulosa interstitiis, deponitur, & stagnat, quum vasorum lymphaticorum tonus nunc infirmatus, excretionisque per cutem imminuta sint.

Serum, flavo colore tinctum, bili transitum in intestinum duodenum non patere, eamque in massam humorum generalem retrorsum agi, significat.

Serum sanguinis rubicundum, aut lividum, magnam fluidorum dissolutionem ac putrefactionem ostendit, qualis scorbuti, pessimæque notæ febribus putridis, propria est. Pejus etiam est, si serum turbidum, aut totus sanguis sordidus, fuscique coloris est, nec coagulum rubrum inde separatur.

Coagulum rubrum, spuma vel crusta subalbida, corium referente, contextum, pro certa sanguinis tenacioris, nec per vasa, nisi cum majore minoreve difficultate, fluentis, nota adhuc habitum est. Quum

igitur sanguis, ex hominum, inflammationibus correptorum, venis missus, crustam illam plerumque exhibeat, hoc eorum, qui inflammationes a lentore atque obstructione derivant, sententiæ firmandæ esse existimarunt. Sed ingeniosissimus quidam recentioris ætatis Physiologus crustæ illius generationem ex principiis prorsus contrariis multo probabilius repetit, sanguinemque, quamvis e vena detractus, & coagulatus, tenax appareat, per vasa tamen adhuc manantem, magis, quam ante natam inflammationem, fluidum esse asserit.

Supra diximus, coagulum rubrum ex particulis colorantibus, cum limpha coagulabili connexis, esse concretum. Jam, *arteriis valide agentibus, sive totus habitus validus, sive non validus sit, limpha coagulabilis fluidior est, tardiusque in coagulum abit, adeoque particulas rubras, quæ ponderosissimam sanguinis partem constituunt, prius ad fundum dimittit, quam coaguletur, qua separatione spontanea coagulum rubrum in duas partes dividitur: unam superiorem, quæ ex solo limphæ coagulabilis coagulo, quod corium hîc appellatur, constat; alteram inferiorem, quæ partim ex hoc, partim ex globulis rubris, composita est.*)*

*) Vid. *FORDYCE Elements of Practice of Physick. Part. I, p. 5.*

Corium hoc Medicorum attentionem summo opere exercuit. Cl. LANGRISH, strenuus lentoris defensor & propugnator, instrumentum quoddam excogitavit, ad hydrometri vulgaris principia confectum, quo variam corii tenacitatem metiretur, atque inde curandam rationem præfiniret. Alii alias sanguinem examinandi vias ingressi sunt. Quidam eum exsiccarunt, ut solidarum partium ad fluidas rationem detegerent: alii pondus ejus specificum explorarunt, quantumque hoc ab aquæ pondere specifico differret, observarunt:

alii eum cum varii generis salibus, cum aqua, in qua corticem peruvianum decoxerant, cum spiritibus ardentibus, &c. commiscuerunt. Sed omnia hæc experimenta potius delectant, quam profunt, maximamque partem ex præjudicata quadam theoria, cui stabilendæ auctores operam navarunt, instituta sunt.

C A P U T VII.

Signa ex urina.

QUONIAM corporis humani sanitas magnam partem a legitima atque ordinata excrementorum separatione & expulsionem dependet: horum profecto examen, tum quantitatis, tum qualitatis, ratione habita, æque nobis ad statum corporis cognoscendum, ac pulsuum observatio, sanguinisque inspectio, inservit.

Urina (excrementum, examinatu facile, cujus mutationes motuum animalium statum pariter, atque fluidorum conditionem, renuntiant) inde ab antiquissimis temporibus Medicorum attentionem provocavit.

Antea vero, quam ex ægrotantium urina judicium de morbis ferre liceat, cognoscenda est urinæ, ab hominibus, absoluta sanitate perfruentibus, redditæ, conditio, quæ cæterarum quasi lex sit & regula. Hanc ipsam autem certam ponere, perdifficile omnino est, quum humor iste, pro ætatis, victus, atque exercitationis varietate, semper variare soleat. Infantis lotium, cum hominis adulti urina, ob salium, olei, terræque abundantiam colorata, grave olente, acri, comparatum, blandum colorisque expers est. Idem fere discrimen inter hominis, vitam sedentariam agentis, corpusque parum, aut nihil dimoventis, & ejus, qui quotidianos labores duos tolerat, urinam inter-

cedit. Quo magis corpus exercitatur, eo majore salinum, olei, vel terræ, copia lotium imbuitur.

Neque exigua urinæ varietas a modo potionis, cui quis assuetus est, dependet. Qui liquida nimis liberaliter ingurgitant, ab iis copiosam urinam tenuem ac pallidam, oleo, terra, salibusve, non admodum saturatam, reddi, necesse est. Aliam prorsus eorum, qui parum bibunt, rationem esse, per se patet.

Sana urina in universum vini Rhenani, vel Olyssiponensis, colorem refert, penitusque limpida est, nec quidquam in ea subsidit. Si qua enim in urina subsidunt, ea sanguinis elementa, aut proportionem non æqua, aut non satis arcte, inter se connexa esse, demonstrant, adeoque defectum quemdam, vel aberrationem quamdam a sanitate, testantur.

Urina limpida, aquosa, multa, excretionis per cutis meatus, præter naturam imminutæ, index, ac perpetua paroxysmorum hystericorum, vel hypochondriacorum, comes est, ubi frigus vehemens, præcordiorum oppressio, nec raro acres singularum partium, frequentissime capitis, vel lumborum, dolores sentiuntur. Talis urina sæpius quoque in febribus observatur, malique morbi nota est, siquidem arteriarum minimarum stricturam spasmodicam permagnam esse significat: unde justus metus suboritur, ne symptomata febrilia ingravescant, ægrotusque brevi in delirium incidat.

Urina pallida, tenuis, limpida, ab his, quorum systema neque nervosum, neque vasculare, perturbatum est, reddita, sanguinem vappidum, aquosum, motum corporis minus sufficientem, partesque solidas in universum debiles & laxas, significat.

Urina pallida, turbida, organa, digestionis infervientia, justo robore carere, salivam autem, bilem, cæterosque, ad rem pertinentes, humores, multum de dissolvendi atque assimilandi facultatibus amisisse, commonstrat: unde chylus crudus & indigestus, pri-

mitivas alimentorum, ex quibus confectus est, proprietates nimium retinens, in sanguinem defertur. Quæ in quibus sunt, quoniam in his primas vias pituita glutinosa, vermium generationi favens, obsidet: idcirco urinam pallidam, turbidam, pro vermium signo habere licet.

Urina rubicunda, vel valde tincta, sed in qua nihil subsidit, corpus, vel exercitatione acriore, vel commotione febrili, nimis excalesfactum esse, testatur. Color enim urinæ ab olei, in ipsa contenti, copia potissimum dependere statuitur. Aucta autem circuitus humorum velocitate, perpetuum est, plus olei ex cellulis, quibus adeps innatat, reforberi, adeoque, si oleum cum sanguine proportionem non æqua mixtum est, urina id necessario participat, coloremque intentiorem, quam in hominibus, absoluta sanitate fruentibus, induit. Itaque talis urina plerumque in morbis febrilibus apparet, hoc est, quamdiu stricture spasmodica persistit. Rebus enim in crisin lætam vertentibus, ac sanguine ab acribus istis, quæ irritationem fovebant, liberato, urina ita oneratur, ut oleum salesque dissolutos diutius retinere non possit, sed plurimum sedimenti in matulæ fundo deponat.

Experimenta LANGRISHIANA hanc rem satis dilucidè explicant. Ex his enim patet, si urina hominis sanissimi in 512 partes dividatur, analysique chemice subjiçatur, 494 ab aqua, 12 a salibus terraque, inter se mixtis, 5 a salibus sinceris, 1 tantum ab oleo, effici. Insigniter autem hæc elementorum proportio discrepabat in urina adolescentis, febre acuta laborantis, quam delirium, aliaque prava symptomata, usque ad diem octavum comitabantur, quo sudor moderatus erumpebat, multumque sedimentum in urina dejiciebatur. Hic enim ex illis 512 partibus tantum 484 aqua, 12 sales, cum terra mixti, 11 sales sinceri, 3 oleum erant.

Ex hac differentia inter sani hominis urinam, &

eam, quæ sub febris decessione redditur, evidenter perspicimus commoda, quæ ab urina sic onerata, ut copiosum sedimentum deponat, exspectare licet. Particulas quippe salinas atque oleosas, quæ, dum in sanguine remanent, turbatos solidorum vivorum motus etiam magis turbant, nunc eliminari, stricturam spasmodicam resolvi, humorumque circuitum liberati & æquabilitati restitui, denotat.

Color sedimenti fluidorum conditionem indicat. Sic sedimentum flavum bilis in intestinum duodenum effusionem quodammodo interruptam ostendit.

Sedimentum nigrum, totam humorum universitatem in putredinem vergere, significat, ac pro pessimo habetur signo, quum in iis tantum morbis appareat, in quibus acrimonia quædam putrida sanguinis crasin jam insigniter dissolvit.

Magna sedimenti pallidi, glutinosi, copia, partium solidarum laxitatem, humorumque crudorum & indigestorum abundantiam, non in primis solum viis, sed etiam in universa fluidorum massa, denotat, adeoque, in quocumque morbo apparet, eum longum fore, prænuntiat. Hæc urina sæpe in febribus intermittentibus conspicitur. Sed pejus etiam in his signum est, urinam in accessionum intervallis, quamvis valde tinctam, limpidam tamen manere, nec quidquam in ea subsidere, siquidem probabiliter inde colligere licet, febrem intermittentem in continuam esse degeneraturam. Sedimentum, laterum contritorum pulveri simile, (latericium vulgo nominant) in hydropicorum urina reperitur, quæ parce reddi consuevit. Idemque nonnunquam eorum, qui febribus hecticis, vel intermittentibus, laborant, urinæ exhibent: sed in his malus fere morbi exitus ab eo portenditur.

Ubi febris non est, & multa tamen in urina subsident, systematis cholepoëtici obstructio significatur.

Si in urinæ superficie quædam pinguis, oleo similia, innatant, scire licet, corpus colliquescere.

Quum enim ab oleo, in telæ cellulosæ interstitiis de-
posito, gratus ille corporis nitor, carniūque ple-
nitudo, dependeat, necessarium est, ut, si illud præ-
ter naturam resorbeatur, aut in sanguine retineatur,
nec inde separetur, atque in tela cellulosa deponatur,
corpus concidat.

Multa materia terrena, vasis, lotium continentis,
lateribus adhærescens, vel ad fundum subsidens, li-
thiasin, vel corporis ad calculos generandos proclivi-
tatem, arguit, magisque, si sabulum, vel arenulæ,
in sedimento sunt.

Parvæ crysalli falis subfusi, in urinæ superficie
collectæ, vel matulæ lateribus adhærentes, acrimo-
niam arthriticam, vel rheumatisticam, indicant,
ac sæpe in febris, quibus rheumatismus se asso-
ciat, observantur.

Pus, urinæ permixtum, renum, vesicæ, vel glan-
dulæ prostaticæ, exulcerationem denotat.

Multus mucus glutinosus, cum urina excretus, su-
perficiem vesicæ internam a calculo, aliave qua re
lædente, vehementer irritari, ostendit.

Urina sanguinolenta calculi asperi atque inæqualis
index est: sed oriri pariter potest a sanguinis crasi dis-
soluta, vel a vasis renum sanguiferis relaxatis, aut
casu quodam violento disruptis, sive ictus aliquis est,
sive ex alto cecidit, sive grave onus levavit. Utrum
urina, eatenus rubens, ut sanguinis colorem referat,
sanguinem vere admixtum habeat, nec ne, facile dig-
nosci potest, si linteum ei immergas, quod genui-
num colorem illico prodit, vel si illam in vitro cale-
facias. Si sanguis urinæ immixtus est, calefactus con-
crescit, & in grumos cogitur: sin rubor ab aliis cau-
sis dependet, urina calefacta potius limpidior evadit,
neque grumos exhibet.

Hæc præcipua signa sunt, quæ urina suppeditat:
sed iis non magis fidendum est, quam his, quæ ex
pulsu desumuntur, nisi cum omnibus reliquis, quæ

in ægroto apparent, comparentur. Quod si, exempli gratia, ad ægrum vocamur, qui multam urinam pallidam, limpidam, profudit, curiosè examinare debemus, utrum systema nervosum, an vasculare, aliquo modo sit turbatum. Si systema nervosum affectum, vasculare autem parum, aut omnino non, turbatum inveniamus, symptoma illud hystericum, vel hypochondriacum, adeoque minime terribile esse, judicare licet. Sin vero systema vasculare insigniter turbatum, ægrumque febre laborantem, reperiamus, pallida ista & limpida urina, ob rationes, supra allatas, pejora symptomata expectanda esse, denuntiat.

CAPUT VIII.

Signa ex sudore.

QUAMQUAM urina totius humorum universitatis conditionem nonnunquam satis clare indicat: clarius tamen eandem significat sudor, qui humor magis elaboratus est, quum urina sæpe numero nihil fere, nisi potionem ingestam, exhibeat.

Veteres magnum in eo momentum posuerunt, ut ægrotantium sudores olfactu, imo ipso gustu, explorarentur. Sed, quod ad posteriorem examinandi modum attinet, vehementer dubitamus, an multi recentiorum illos imitaturi sint.

Materiam sudoris vulgaris humor perspirabilis, valde auctus, constituit, cui olei lymphæque, subter cutem collocatæ, portio quædam admiscetur: qui humores vel motu sanguinis incitato expelluntur, vel per cuticulæ poros, nimium laxatos, exsulant.

Elementa tamen hujus excrementi ab iis, unde urina constat, proxime absunt, præterquam quod sudor plus olei continet, utpote a sanguine tum de-

num separatus, posteaquam vasorum actionem multo magis perpeffus est, ejusque elementa multo artius concorporata sunt.

Regulæ, quas HIPPOCRATES de sudorum in febribus observatione tradidit, etiam nunc veræ censentur, ideoque a seculis ad secula transmissæ, atque ex charta in papyrum transcriptæ sunt. Constanti observatione compertum est, felicem morbi exitum ab his sudoribus prænuntiari, qui eodem tempore, quo sedimentum in urina apparet, pulsusque ex frequenti & duro tranquillus & mollis fit, erumpant, neque singularum partium, sed totius corporis, sint, ægrumque ponderis opprimentis sensu levant. Tales sudores pro salutaribus habentur, morbiq; decessionem significant, magisque, si die febris tertio, quinto, septimo, nono, undecimo, quarto decimo, decimo septimo, vel vicesimo primo, profluere cœperint. His enim fere diebus, uti supra jam diximus, faustæ morborum conversiones evenire observatæ sunt. Mali contra atque inutiles existimantur sudores, qui aliis, quam quos diximus, diebus, ac sine signis coctionis, in urina apparentibus, ita emergunt, ut alvus adstricta, pulsus durus & frequens, ægerque in præcordiorum oppressione atque agrypnia, vel in magno dolore, maneat. Tales enim sudores morbi vehementiam, magnamque molestiam & anxietatem internam, præsertim circa partem, cæteris uberius insudantem, produnt.

Nimii sudores, sive in febribus continuis, sive in intermittentibus effusi, si continuentur, solidas partes debilitatas, humores autem crudos atque indigestos, quorum elementa non rite inter se commixta & concorporata sint, indicant. Arguunt etiam organorum, digestionis inservientium, debilitatem, vel fomitem quemdam in corpore, a jecinore, aliove quo viscere, corrupto, aut exulcerato, oriundum.

De signis, ex sudorum odore capiendis, supra jam locuti sumus.

CAPUT IX.

Signa ex alvi excrementis, vomituque, & anacatharsi.

ALVI excrementa æque utiliter, ac sudores atque urina, examinantur.

Quum color sæcum alvinarum a bile potissimum dependeat, dejectiones albæ, vel cineraceæ, viam ductus communis in intestinum duodenum obstructam, aut necessarii hujus humoris secretionem interruptam, denotant. E contrario alvus admodum fusca bilis exsuperantiam testatur.

Dejectiones virides, infantibus lactentibus, atque interdum hystericis, vel hypochondriacis, familiares, saburram acidam, in primis viis accumulata, indicant, quæ, cum bile permixta, fæces hoc colore tingit.

Dejectiones cruentæ, quibus cruor multus, & sine torminibus, descendit, sanguinem ex intestini recti, partiumve vicinarum, vasis profluere, ostendunt.

Alvus nigra, foetorem putridum redolens, omnium maxime terribilis est, utpote corruptionis internæ atque gangrænæ testimonium. Ac, si pulsus concidat, vires deficient, frigidique sudores prorumpant, scire licet, mortem in propinquo esse.

Dejectiones mucosæ organorum, digestionis interventium, debilitatem, vermiumque præsentiam, arguunt.

Alvus aquosa, acrem quamdam atque irritantem materiam in canali cibali hære, significat. Oriri etiam potest a sola laxitate tubulorum, liquorem intestinale suppeditantium, vel, quod sæpe in proVectæ ætatis hominibus accidit, ab induratis atque infartis glandulis mesentericis, vel ab alia quadam

excretionem, maximeque perspirationem, suppressam.

Nimia fecum alvinarum duritia nimium calorem internum; alias muci, intestinorum canalem lubricantis, vel bilis, eundem stimulantis, defectum denotat.

Alvi defectiones sæpe numero vehementer turbantur, inordinatæque evadunt, a causis mere nervosis, & animi affectibus. Quum enim totus intestinorum canalis copiosis nervis instructus sit, fieri non potest, quin, turbata hac solidorum vivorum parte, una pariterque afficiatur. Atque hinc fit, ut pro bono signo in morbis habeatur, alvi conditionem eandem manere quæ secunda valetudine esse consuevit, siquidem, systema nervosum parum, aut plane non, turbatum affectumve esse, inde colligere licet.

Idem de ventriculo, ciborumque appetentia, dici potest. Quamdiu hæc constat, motus solidorum vivorum magnopere turbati esse nequeunt. Humores autem crassiores nihilominus valde vitiatos, ac sanguinem vehementer corruptum esse posse, dirus ille morbus, qui scorbutus putridus nominatur, demonstrat. In plerisque enim, qui eo laborant, ciborum appetentia ad extremum fere vitæ halitum constare observatur.

Materia flava, vomitu copiose rejecta, nimiam bilis abundantiam; viridis saburram acidam acerriam, in ventriculo accumulata, magnamque systematis nervosi perturbationem, significat. Vomitus cruentus raro ab alia causa, quam a mensibus suppressis, oritur, ac satis certa vitii hujus nota esse reperitur. Sed materiæ nigræ & grave olentis vomitus in morbis acutis pro signo mortis imminentis haberi potest, ut qui vix aliunde, nisi ab interiorum partium gangræna, proficiscatur. Pituitæ, vel muci glutinosi atque insipidi, vomitus insignem ventriculi debilitatem testatur, perspicueque remediorum astringentium amarorum usum requirit.

Quod

Quod ad signa, ab anacatharsi, sputorumque, e pulmonibus rejectorum, conditione, repetenda, attinet, si magna copia phlegmatis, vel muci tenacioris, sine magna difficultate, aut magno dolore, extuffitur, scire licet, glandulas mucosas, per pulmones dispersas, præter naturam relaxatas esse: sin autem exiguum tantummodo phlegma album, spumans, post vehementem tussim, cum perpetua spirandi difficultate conjunctam, rejicitur, duritiam, vel scirrhum, in glandulis illis, quas diximus, merito suspicamur. Puris sputum pulmonum exulcerationem evidenter demonstrat. Sanguis sincerus, floridus, spumans, pleno ore rejectus, quædam ex vasis pulmonum sanguiferis disrupta esse, ostendit: sin autem sanguis cum pure, vel muco, permixtus tantum est, suspicari licet, eum ex vasis nimium relaxatis, vel debilitatis, exire.

CAPUT X.

Summa Prognosticorum HIPPOCRATIS.

IN præfagiendis univérse morborum eventibus unum HIPPOCRATEM adeo excelluisse, ut neminem, qui post ipsum hanc artis nostræ particulam agitavit, non longe superet, apud omnes in confesso est. Atque hoc ipso quoque potissimum nomine opera ejus tantam auctoritatem consecuta sunt. Quare Lectoribus nostris haud ingrata fore confidimus, quæ ex LINDENII *Meletematibus medicinae Hippocraticæ*, libro in perpaucorum manibus versante, excerpta, hic subjiciemus. Magna enim cum diligentia vir ille doctissimus ex libris HIPPOCRATIS loca, huc spectantia, collegit, atque in duabus columbis, ex adverso positis, descripsit, ut uno obtutu

hinc signa bona, felicem morbi exitum pollicentia; inde mala, periculum, vel ipsam mortem, minitiantia, conspiciere liceat.

S I G N A.

B O N A.

M A L A.

I.

I.

Ratione quovis in morbo valere.

Ratione non valere — Delirare, in primis fractis viribus, aut sensim ferociter, aut cum tremore, spirituve difficili, & sudore, aut singultu — Præter consuetudinem responsum dare ferox, aut audax: loqui multum, aut raro, aut nunquam: per vices multum loqui, & obstinate tacere, aliudve non solitum facere — Frequenter & frustra screare; sputare; ori manum admoveere; muscas venari; festucas colligere; de stragulis floccos, aut de pariete paleas, carpere — Familiares non agnoscere — Oblivisci eorum, quæ geruntur.

II.

II.

Somnum bene cape-

Somnum non bene

SIGNA.

BONA.

re — Interdium vigilare, noctu dormire, aut saltem mane ad tertiam diei partem — Somnus profundus & compositus, & qui quovis in morbo proficit, delirium sedet, convulsionem solvat — Expergisci suaviter,

III.

Videre bene.

I V.

Audire bene.

MALA.

capere — Dormiendi ratio, quod ad tempus, aut modum, mutata — Non dormire, non noctu, non interdium — Somnus, qui noxiam afferat: qui soporofus, aut turbulentus est — Expergefieri turbulente, & cum confidentia — Dormire, palpebris non satis commissis, aut oculorum albo, magis, minus, apparente, vel hiantes semper ore.

III.

Non videre — Oculos obserari; perfringi; hebescere; obtundi; caligare; vertigine tenebri-cosa tentari; lucem splendoremve fugere, vel averfari; fixis intueri; frequenter agitare.

I V.

Non audire, aut obtuse, aut inæqualiter: surdum fieri.

SIGNA.

BONA.

V.

Sentire bene.

VI.

Motus membrorum omnium promptos habere, & simillimos fanis — Facile se convertere, &, in sublevando se, levem esse.

MALA.

V.

Non sentire, nedum dolentes dolorem — Torpor, in contraria celeriter permutatus — Dolor capitis pertinax : auris intentus : cervicis : faucium sine tumore pusillus & strangulans : in pectore fixus cum torpore : oris ventriculi : præcordiorum cum impotentia loquendi : circa viscera vehemens : circa umbilicum cum palpitatione : lumborum : ex femore : cubiti : genuum : manuum ac pedum.

VI.

Motus impotentia — Jactatio crebra — Difficulus converti, & gravem esse, quum reliquo corpore, tum manibus ac pedibus — Collum vertere non posse — Lingua torpida, aut resoluta — Agitatio ejus difficilis.

SIGNA.

BONA.

MALA.

VII.

VII.

Ευφροσύνη, quæ in quiete corporis & tranquillitate animi consistit, & ex utriusvis indolentia procedit.

Δυσφροσύνη, sive animi anxietas & æstuatio, corporisque inquietudo, & jactatio, atque disjectio. Tantum mala non est, quam rigor sequitur indicatorius, supervenientibus sudoribus, vel vomitionibus commodis, vel alvo subducta.

VIII.

VIII.

Convulsio, eadem die desinens.

Convulsio omnis, præter propositam — Distorqueri, velut qui vomitione conflictantur — Palpitationes in totum — Perversio labii — Linguae revulsio tremula — Commansio — Calcium jactatio.

IX.

IX.

Tremores, qui humoribus coctis, & agitari incipientibus, superveniunt.

Tremores in principio morborum: aut ex siccitate in febribus: itemque parvi.

SIGNA.

BONA.

MALA.

X.

X.

Sternutatio in morbis, qui ad pulmones non attingunt, etiam letalissimis: quin & in doloribus circa caput ac frontem.

Sternutatio in omnibus circa pulmonem morbis.

XI.

XI.

Singultus, quum vomitionem criticam antecedit.

Singultus semper malus, præsertim, si ex inactione fiat.

XII.

XII.

Horror, postridie repetens in iis, qui horruerunt, & judicatorie exsudarunt.

Horrores crebri ex dorso: crebri & tenues cum sudoribus tenuibus: post sudorem: in doloribus.

XIII.

XIII.

Rigor quotidianus, febre ardente laboranti superueniens.

Rigores crebri ex dorso: continentes: multi cum torpore: cum sopore: cum posteriorum partium distentione: cum æstu: cum perversione oculorum: cum exsolutione virium: cum suppressione urinæ: cum judicatio-

SIGNA.

BONA.

MALA.

XIV.

Vox libera & expedita.

XV.

Respiratio facilis: rari-
or ac lenior.

XIV.

ne: ægro jam debili: die
sexto.

Vocis defectio, in pri-
mis cum singultu, aut ex-
solutione virium, aut res-
piratione elata & conspi-
cua, aut ignorantia, aut
infantia, aut crebro rigore,
aut dolore, aut ex dolore,
aut post judicationem:
quæve speciem præ se
convulsionis fert — Obs-
cure loqui.

XV.

Respiratio difficilis: cre-
bra: magna & rara: ma-
gna & frequens: sublimis:
conspicua: minuta: obs-
cura: tussicula: suspirio-
sa: luctuosa: stertorosa:
coacervata: offendens:
velut revocata & ingemi-
nata: duplicata: subito
revulsa: convulsiva: fri-
gida ex naso & ore: cali-
da: turbida.

SIGNA.

BONA.

XVI.

Virium robur atque constantia.

XVII.

Pulsus vehementes, magni, frequentes, rari, undosi, dicroti, æquales, ordinati, adeoque omnes, qui in sanis notari solent.

XVIII.

Cibum bene appetere, saltem oblatum non recusare, nedum fastidire.

XIX.

Sitire, quum oportet: aut non sitire, quum non oportet.

MALA.

XVI.

Virium imbecillitas — Lipothymia — Lipoptychia — Palpitatio cordis.

XVII.

Pulsus languidi, parvi, concitati, inæquales, inordinati, intermittentes, intercurrentes, myuri, vermiculantes, formicantes, & quotquot a cujusque sani modo longius recesserunt.

XVIII.

Cibum non appetere, etiam oblatum recusare, aut fastidire — Pauco expleri — Belle comedenti corpus non proficere.

XIX.

Sitire, quum non oportet: aut non sitire, quum oportet — Sitis præter rationem soluta; aut valdeurgens; aut crebro

SIGNA.

BONA.

MALA.

XX.

Dejectio iussa.

XX.

permutata, sive vicibus
multa & nulla.Dejectio invita: fallens
ægroti sensum, & clam
prodiens: labore frequens,
conatu irrita.

XXI.

Urina, quum opus est,
reddita, & bene tum pro-
cedens.

XXI.

Urina non recordanti
profluens.

XXII.

Decubitus talis, qualis
esse sanis consuevit, scili-
cet, in latus dextrum, aut
sinistrum, cervice, mani-
bus, cruribusque reductis,
& corpore toto molliter
posito, pedibus item &
pectore probe tectis.

XXII.

Decubitus in ventrem:
supinus, cervice, mani-
bus, pedibusque extensis,
& inæqualiter dispersis,
aut valde contortis —
Ægrum in ipso morbi vi-
gore velle residere, aut ad
pedes provolvi, eosve nu-
dos habere.

XXIII.

Lacrimæ quibus in fe-
bribus, aliisve morbis,

XXIII.

Lacrimæ quibus quo-
cumque in morbo præ-

SIGNA.

BONA.

MALA.

voluntarie profluunt, absurdum non est.

ter voluntatem effluunt.

XXIV.

XXIV.

Lemas circa oculos non apparere.

Lemæ, aut sordes, circa oculos concretæ.

XXV.

XXV.

Sordes in auribus amara.

Sordes in auribus dulcis.

XXVI.

XXVI.

Sanguinis e naribus fluxiones largæ, septimo, nono, aut quarto decimo die, e directo, & cum signis coctionis.

Sanguinis e naribus fluxiones parvæ: plures: multæ & vehementes: biliosæ, immodicæ: meracæ: repentinæ: æstivo, & auctumnali tempore: quarto die, aut undecimo: e contrario & adversa parte: cum signis pravis: stillationes: valde rubicundæ.

XXVII.

XXVII.

Salivatio in somnis cum sudore.

Salivare mente motos: inter loquendum.

XXVIII.

XXVIII.

Sputa, cujus modi in

Sputa sanorum dissimil-

SIGNA.

BONA.

sanis, insipida videlicet, alba, levia, æqualia, neque tenuia nimis, neque crassa, quæque prompte & facile exspuuntur, quæque levitas & fastidii cessatio sequuntur—A capite crassa, nec olentia—A pectore similia puri, permixta bile flava, non multo sanguine, mucosa fuliginosa, quæ colorantur, & cito maturantur, & facile egeruntur.

XXIX.

Vomitus mixtus ex bile & pituita, non multus, non crassus, aut cujus modi sponte fieri solet.

XXX.

Dejectio mollis, figu-

MALA.

lima—A faucibus diu cruda: subarida: crebra: viscida, crassa, exalbida, vieducta—A pectore biliosa & purulenta: candida, glutinosa, flava, rufa, sincera, viridia, nigra, valde sanguinolenta, æruginosa, spumosa, viscosa, livida, foetida, dulcia, tarde, aut difficulter prodeuntia, dolorem non sedantia, rotunda.

XXIX.

Vomitus meracius: varius, tum alias, tum si sese mutuo consequuntur: biliosus, porraceus: æruginosus: viridis, niger, lividus, ruber, aut omnium colorum: ater: sanguinolentus: malus, suppuris & foetidi odoris: exiguus biliosus: parvus & frequenter repetens: anxiosus.

XXX.

Dejectio cita. Sed ne

SIGNA.

BONA.

rata, atque eodem fere tempore, quo secunda valetudine assuevit, modoque conveniens his, quæ assumuntur. Aut liquida, non stridens, neque crebro, neque paulatim sedcedens, sed bis, aut ter interdum, noctu semel, plus tamen prima luce, pro consuetudine cuiusque, & crassior a morbo, ad judicationem eunte, & aliquatenus fulva, sive subrufa, nec dum præter naturam olens.

MALA.

hæc quidem terrere protinus debet, si matutinis temporibus coacta magis est, aut si, procedente tempore, paulatim contrahitur, & rufa est, neque foeditate odoris similem alvum sani hominis excedit. Terribilis contra omnis æruginosa; alba; aquosa; atra; bile abunde colorata; biliosa cum efflorescentia spumosa; candidans; circum biliosa; cruenta; decolor valde; exigua; farinæ similis & stercorosa; foetida; abunde fermentata; friabilis; glutinosa; grave olens; levis; larga; limosa; liquida; livida; maculis nigris distincta; meraca; multa cum nigris; nigra; pallida cum virore; perfrigerans, pinguis; pituitosa; porracea; prærubra; sanguinis splendidi, aut grumosi; ficca, neque cohærens; spumosa; stercoracea; strigmentosa; subcrocea; subfriabilis liquida; subpallida cum vi-

SIGNA.

BONA.

MALA.

XXXI.

Urinæ mediocres, & pro ratione crassescences — Colore citrinæ; subrubicundæ — Sedimentum album, leve, æquale, toto tempore judicationis; subrubrum & leve in urina simili; multum — *Ἐπινέφελον* rubrum, cito apparens — Nubecula alba, & deorsum vergens.

XXXI.

Urinæ aquosæ: biliofæ: crassæ primum, deinde tenues: crudæ: cruentæ: albæ, pellucidæ, tenues: turbatæ cum sudore: turbidæ, jumentorum instar — Colore albæ: præsertim valde æruginosæ: fulvæ: nigræ: rubicundæ valde — Odore foetidæ — Sedimentum, instar crassioris farinæ, squamularum, fursurum; genituræ simile — Nubecula nigra: sursum lata — Contentum pingue & instar aranæ: arenosum: pelliculosum: purulentum.

BONA.

MALA.

XXXII.

XXXII.

Sudores, qui cœperint die tertio, quinto, septimo, nono, undecimo, decimo quarto, decimo septimo, vicesimo primo, vicesimo septimo, tricesimo primo, & tricesimo quarto. Ii enim sudores morbos judicant, præsertim, si ex toto corpore profluunt calidi & tenues, suntque in somnis cum

Sudores, qui aliis, quam recensitis, diebus, aut in tempeste, sunt: multi & frigidi: continui, & multum debilitantes: multi cum acutis febribus, aut repentina impotentia acervati in convulsionibus, circa caput, faciem & collum: circa frontem grave olens: a fronte incipiens: circa pedes & crura.

XXXIII.

XXXIII.

Pus album, leve, æquale, & quam minime grave olens: ejusdem coloris, atque expers pituitæ.

Pus lividum, aut ex pallido virescens: subcruentum: pituitosum: spumans: qualis amurca: lutulentum & grave olens: ad fundum subsidens.

XXXIV.

XXXIV.

Lumbricos descendere, eunte morbo ad crisin.

Lumbricos per os exire.

XXXV.

XXXV.

Flatus, sine fonitu ac crepitu exiens.

Flatus non erumpere, sed revolvi, aut cum fonitu prodire.

SIGNA.

BONA.

MALA.

XXXVI.

XXXVI.

Corpus totum æqualiter calidum esse ac molle — Icterus die septimo, aut nono, aut undecimo, aut quarto decimo, superveniens, citra duritiem hypochondrii dextri.

Corpus totum grave : frigidum : mortiferum : febricitantium non omnino leviter constare sibi, nec minui, aut etiam plus æquo colliquefieri — Icterus superveniens, duro hypochondrio.

XXXVII.

XXXVII.

Facies bene valentium similis : in magnis morbis constans : ex tumida facta depressa.

Faciei color alius a naturali, utpote pallidus, niger, lividus, aut plumbeus : bonus cum vultu tetrico : cum mæstitia : cum inediis : flammeus cum sudore — Facies bene habita in febribus ; aut in parvis morbis prava ; tristis ; circumtenta & contracta ; corrupta.

XXXVIII.

XXXVIII.

Frons sanorum similis.

Frons dura, intenta, arida ; contracta ; frigida ; venæ circa eam tumidæ.

XXXIX.

XXXIX.

Oculi albi, clari, lucidi, & omnino sanorum

Oculi rubicundi, squalentes, obscuri, tumidi,

BONA.

MALA.

simillimi—Album ex nigro aut livido clarum fieri.

aut venulæ in albo livefcentes, aut nigricantes: alter altero minor; concavi; colorati, natantes, velut dormitantium; pulvere obfiti; exprefsi foras; intente splendentes; ferocientes; ficci; arefcentes, ficut fpuma; fubapparitiones in fomnis.

XL.

XL.

Palpebræ naturaliter conftitutæ.

Palpebræ livefcentes; perversæ; circumtentæ; non commiffæ; aut commiffis, aliquid ex albo fubapparere — Cilia re-torta.

XLI.

XLI.

Aures naturaliter habentes.

Aures frigidæ, pellucidæ, contractæ: extremitates earum inverfæ — Aurium rubores, fonitus, aut tinnitus.

XLII.

XLII.

Tempora fanis fimilia.

Tempora collapfa.

SIGNA.

BONA.

XLIII.

Nasus fano similis.

XLIV.

Malæ, quales esse fano
solebant.

XLV.

Labia sese, ut in fano,
habentia.

XLVI.

Dentes puros manere.

XLVII.

Lingua recte se habens:
non decolor; aut biliosa:
aut ejus bifulcum, velut
faliya alba, obductum.

Tom. I,

MALA.

XLIII.

Nasus lividus: pallidus:
acutus: perversus.

XLIV.

Malarum rubor — In
malas & labia, dormien-
tium instar, inflare.

XLV.

Labia perversa; reso-
luta & pendula; frigida;
exalbida; livescentia.

XLVI.

Dentibus lentores ob-
nascetes: stridere: fide-
rari.

XLVII.

Lingua adusta: æstuo-
sa: ardens: arida: aspera
& valde densa: bulla sub-
livida in ea apparens:
combusta: densa & valde
arida: fuliginosa arida:
horrida statim: postea
exasperata, fissaque: livi-
da: mollis præter ratio-

R

BONA.

MALA.

nem : nigricans : obscura
peripneumonica : pallida
albicans : rubicunda refic-
cata : sicca : cum efflores-
centia aspera, pallida, &
albicante.

XLVIII.

XLVIII.

Fauces humidæ, &
naturali modo constitutæ.

Fauces exulceratæ.

XLIX.

XLIX.

Collum rubere, præser-
tim in anginosi.

Collum durum : perfri-
gescens.

L.

L.

Hypochondria mollia :
æqualia, & doloris ex-
pertia.

Hypochondria intenta,
& inæqualiter affecta dex-
tra ad sinistra, aut inflam-
mata, aut pulsatio in iis,
aut tumor durus & do-
lens : sublimia.

LI.

LI.

Venter mollis, & bene
tumidus — Partes, quæ
ad umbilicum & inum
ventrem sunt, crassitudi-
nem habere.

Venter in tumorem sub-
latus : valde calidus, aut
ardens, velut in volvu-
lis — Æstus circa ventri-
culum vehemens.

SEMIOLOGIA

259

S I G N A.

BONA.

LII.

Genitale & testes naturaliter penduli.

LIII.

Extrema calida, & naturaliter habentia.

LIV.

Manus modice calidæ, & quales sanis esse consueverunt.

LV.

Pedes moderate calidi, & quales esse sanis solent.

LVI.

Ungues naturalibus similissimi.

LVII.

Cutis mollis, & bene habita.

MALA.

LII.

Genitale & testes sursum contracti.

LIII.

Extrema frigida: livida: sublivida: non recalescentia: in utrumque celeriter mutata — Externa algere, interna urere.

LIV.

Manus frigidæ, velut congelatæ: macula livida circa illam — Carpus extimus frigidus, brachio & manu tepentibus.

LV.

Pedes non admodum calidi: calidi in horribus: frigidi: frigidi instar lapidis: lividi: omnino nigri: tepidi.

LVI.

Ungues lividi: curvi.

LVII.

Cutis arida.

Propositis, quæ ægrotantibus aut spem promittunt, aut metum portendunt, superest, ut & ea, quæ mortem denuntiant, proponamus. Ea vero quasi duûm generum sunt. Quædam namque futuram, quædam præsentem mortem testantur.

Futura denuntiatur, ubi æger supinus cubat, eique genua contracta sunt: ubi deorsum ad pedes subinde delabitur: ubi brachia & crura nudat, & inæqualiter dispergit, neque iis calor subest: ubi hiat: ubi assidue dormit: ubi is, qui mentis suæ non est, neque id facere sanus solet, dentibus stridet: ubi ulcus, quod aut ante, aut in ipso morbo, natum est, aridum, & aut pallidum, aut lividum, factum est.

Illa quoque mortis indicia sunt, carpi frigidi: ungues digitique pallidi: frigidus spiritus: aut si manibus quis in febre, & acuto morbo, vel insania, pulmonisve dolore, vel capitis, in veste floccos legit, fimbriasve diducit, vel in adjuncto pariete, si quæ minuta eminent, carpit.

Dolores etiam, circa coxas, & inferiores partes, orti, si ad viscera transferunt, subitoque desierunt, mortem subesse, testantur, magisque, si alia quoque signa accesserunt.

Neque is servari potest, qui sine ullo tumore febricitans, subito strangulatur, aut devorare salivam suam non potest, cuive in eodem febris corporisque habitu cervix convertitur, sic, ut devorare æque nihil possit: aut cui simul & continua febris, & ultima corporis infirmitas est: aut cui, febre non quiescente, exterior pars friget, interior sic calet, ut etiam sitim faciat: aut qui, febre æque non quiescente, simul & delirio, & spirandi difficultate vexatur: aut qui, epoto veratro, exceptus distentione nervorum est: aut qui ebrius obmutuit. Is enim fere, adjecta nervorum distentione, consumitur, nisi aut febris accessit, aut eo tempore, quo ebrietas solvi debet, loqui coepit.

Mulier quoque gravida acuto morbo facile consumitur : & is, cui somnus dolorem augeat : & cui protinus, in recenti morbo, bilis atra, vel infra, vel supra, se ostendit : cuive alterutro modo se prompsit, quum jam longo morbo corpus ejus esset extenuatum & affectum.

Sputum etiam biliosum, & purulentum, sive separatim ista, sive mixta proveniunt, interitus periculum ostendunt. Ac, si circa septimum diem tale esse coepit, proximum est, ut is circa decimum quartum diem decedat, nisi alia signa meliora pejorave accesserint, quæ quo leviora graviorave subsecuta sunt, eo vel feriozem mortem, vel maturiorem, denuntiant.

Sudor quoque frigidus in acuta febre pestiferus est : atque in omni morbo vomitus, qui varius, & multorum colorum est, præcipueque, si malus in hoc odor est.

Ac sanguinem quoque in febre vomuisse, pestiferum est.

Urina vero rubra & tenuis in magna cruditate esse consuevit, & sæpe ante, quam spatium maturescat, hominem rapit. Itaque, si talis diutius permanet, periculum mortis ostendit. Pessima tamen est, præcipueque mortifera, nigra, crassa, mali odoris. Atque in viris quidem & mulieribus talis deterrima est : in pueris vero, quæ tenuis & diluta est.

Alvus quoque varia pestifera est, quæ strigmentum, sanguinem, bilem, viride aliquid, modo diversis temporibus, modo simul, & in mixtura quadam, discreta tamen, repræsentat. Sed hæc quidem potest paulo diutius trahere. In præcipiti vero jam esse denuntiat, quæ liquida, eademque vel nigra, vel pallida, vel pinguis est, utique, si magna foeditas odoris accessit.

Præsentem mortem, sive ad ultima ventum esse, testantur nares acutæ, collapsa tempora, oculi con-

cavi, frigidæ languidæque aures, & imis partibus leniter versæ, cutis circa frontem dura & intenta, color aut niger, aut perpallidus, multoque magis, si ita hæc sunt, ut neque vigilia præcesserit, neque ventris resolutio, neque inedia: ex quibus causis interdum hæc species oritur, sed uno die finitur. Itaque, diutius durans, mortis index est. Si vero in morbo vetere jam triduo talis est, in propinquo mors est: magisque, si præter hæc oculi quoque lumen refugiunt, & illacrimant; quæque in iis alba esse debent, rubescunt; atque in iisdem venulæ pallent; pituitaque, in iis innatans, novissime angulis inhærescit; alterque ex his minor est; iique aut vehementer subsederunt, aut facti tumidiores sunt; perque somnum palpebræ non committuntur, sed inter has ex albo oculorum aliquid apparet, neque id fluens alvus expressit; eademque palpebræ pallent, & idem pallor labra & nares decolorat: eademque labra & nares, oculique, & palpebræ, & supercilia, aliquavē ex his, pervertuntur; isque propter imbecillitatem jam non audit, aut non videt, & pulsus formicatur, ac deficit, & respiratio in pulmone primum, mox gutture, stridet *).

*) Quæ de mortis indiciis hic proponuntur, paucissimis exceptis, repetita sunt ex A. CORNELII CELSI *Lib. II, Cap. VI.*

